

ALVENSLEBEN
7
129



1. *Quaestiones theologicae D. Joh. Musari inter Nostrates
hactenus agitatae de Syncretismo cum vindicijs ne-
cessarijs* Iena 1679.
2. *Discussio nebularam* G. Abrad. Calovium Fr. W. Calix.
Helmst. 1676.
3. *Programma* Fr. W. Calixti Helm. 1676
4. *Triumphus concordiae repetiti consensu dramatico*
Rectori Magni D. Joh. Dittsfelder, ipso inaugurali
Rectoratus sacraus Witt. an 1676. 18 S. 8. 2.
5. *Pila Sophistica de iudice Quersiar, in negotijs fidei*
in Adr. et Petr. Warenburch. fratres reorta a Gerh.
6. *Vindictis Aug. Conf. G. Rob. Bellarm. Titio a. 1662*
Cardinal. Gerh. F. A.
Helm. 1665
7. *Apologeticus ad verba Valerianum magnum minorita*
Capucinum Joh. Majoris. D. Theol. Ien. et p. 1672.
8. *de Praedestinatione. Disp. inauguralis M. Henr. Froisleb.*
praefide D. Chr. Chemnitii Ien. 1651
9. *De Incarnatione filij Dei utrum in natura an in*
personis, an in utraq. terminetur. D. Henr. Rixn.
Helmst. 1676
10. *Synopsis locorum 1. Sac. Scra² 2. Patrum 3. Recentior*
de iis q. ad salutem credita st. narij et sufficientia
A. Simplicius Christiano Catholicis.
11. *Samuelis Puffendorffij epistola ad Diloh Scherzer.*
1774
Super censura in librum suum iniquitate
12. *Christiani Vigilis Christiana benedictis ad impia*
et immanem maledicentiam Du. Sam. Puffendorffij
a frider. Gieseris Superint. Gardel. 1675.


23
e;
lix.
ali
ei
erh.
4.
ta
642
leb.
lixn.
oy
tia
ber.
pia

~~1. 11. 11.~~


in Miniacis

1212-1212









10
DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
INCARNATIONE
FILII DEI

VTRVM IN NATVRA AN
PERSONA EIVS, AN IN V.
TRAQVE TERMINETVR?

Q V A M
IPSO AVSPICE
PRÆSIDE

HENRICO RIXNERO
SS. THEOL. DOCTORE, EIUSQVE
PROF. PUBL. ORDINARIO

IN IVLEO MAGNO
AD D. FEBR.

PVBLICE EXCVTIENDAM PROPONIT

FRIDERICVS Oppermann
Hildesiensis, vicinæ Ecclesiæ Rhodensis
in Ducatu Luneburgico Pastor.

ae)o(2u T129

HELMESTADII,
Typis HENRICI DAVIDIS MULLERI Acad. Typ.
Anno MDCLXXVI.

ILLVSTRI ET VENERANDO

CONSISTORIO
ECCLESIASTICO

IN DVCALI AVLA CELLENSI

HOC

CVM HVMI LI SVI ET STVDIOR VM
SVOR VM COMMENDATIONE

SACRVM ESSE IVBET

FRIDERICVS OPPERMAN
PASTOR RHODENSIS





DE
**INCARNATIONE
 FILII DEI**

UTRUM IN NATURA AN PER-
 SONA EJUS, AN IN UTRAQUE
 TERMINETUR?

EXERCITATIO.

Filium Dei unigenitum, ex Patre ante omnia secula natum, in temporis plenitudine propter nos homines, & propter nostram salutem, de coelis descendisse, & citra naturarum confusionem, ac personarum multiplicationem, incarnatum, & hominem factum esse, Sacrae canonicae Scripturae docent, & earum ductu Nicænum & Athanasianum Symbola, nec non Anathematismi Ephesini, ac Confessio Chalcedonensis, perspicue declarant.

II. Quæritur autem, num Incarnatio in Divina Natura Filii, an in Persona & *Personis* ejus, an in utraque terminetur? vel, quod eodem recidit, num Natura illa Verbi, an Persona, an utraque humanitatem assumserit, & incarnata sit? Equidem controversia inter Nostrates, & Pontificiorum atque Reformatorum nonnullos, proprie

de eo est, utrum non Persona tantum, sed etiam Natura Filii, terminus incarnationis existat? Personam enim omnes illi incarnatam confitentur; dissentiunt autem & disputant de Natura. Tamen quia in oratione ista: *Filium Dei incarnatum esse*: subjectum capi potest de Filio Dei spectato vel secundum Divinitatem, vel secundum Filiationem & personalitatem, vel secundum utramque; & aliqui præterea Veteres ita quandoque hoc in negotio locuti sunt, ut Essentiæ & Deitatis duntaxat; quidam vero sic, ut Personæ tantum fecerint mentionem; eoque illi videri possint solam Naturam abstractâ Personâ; isti solam Personam remotâ Naturâ, terminum incarnationis fecisse: quæstionem visum fuit constituere trimembrem.

III. Verùm proferamus statim prioris census antiquos. Basilius M. homil. in S. Nativit. *Humana Domini caro ipsa particeps facta est Deitatis.* Augustinus lib. VII. de Trin. c. VII. & XI: *Forma Dei, h. e. substantia divina, accepit formam servi.* Quibus digitum procul dubio intendit ad Philipp. II, 6. ubi tamen Apostolus non formam Dei, sed aliquem *in forma illa existentem*, nempe Christum, formam servi accepisse sive assumpsisse scribit. Theodoretus Dial. II. c. III: *Decet nos utramque naturam confiteri, καὶ τὴν λαβῶσαν, καὶ τὴν ληφθεῖσαν, & assumentem, & assumptam.* Fulgentius libro de Fide ad Petrum cap. II: *Illa natura, quæ semper genita manet ex Patre, i. e. divina Christi, naturam nostram sine peccato suscepit.* Prostat etiam inter Hieronymi Epistolas Explanatio Symboli ad Damasum, quæ tamen Mariani Victorij, Bellarmini, Andreae Riveti, Roberti Coci, & aliorum doctorum iudicio supposita est. Ea hæc leguntur: *Passus est Filius Dei non secundum illam substantiam quæ assumpsit, sed secundum illam quæ assumpta est.* Johannes Damascenus lib. III. de Orth. Fide c. VII: *Unam naturam Dei Verbi incarnatam, confite-*

fitemur. Et capitibus vi. ac xi. phrasin istam etiam ab Athanasio & Cyrillo Alexandrino usurpatam indicat. Sic illi.

IV. Contra adserere alii prima fronte videntur, Christi humanitatem non in Natura, sed in sola Persona terminari. Ita Patres Ephesini Anathematismo 11: *Si quis non confiteatur, carni secundum subsistentiam unitum esse Verbum, quod est ex Deo Patre, — anathema sit.* Et seculo septimo Synodus Toletana sexta can. 1: *Cum tota cooperata sit Trinitas formationem suscepti hominis (humanæ naturæ) quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis ad extra; solus tamen Filius suscepit humanitatem in singularitate personæ, non in unitate divinæ naturæ, id est, in eo, quod proprium est Filij, non quod commune est Trinitati: quoniam constat, naturam Trinitatis esse unam, non tamen personam.* Idem eadem ætate Toletana undecima voluisse videtur in Expos. Fidei Cathol. art. v: *Deus Verbum, inquit, non accepit personam hominis, sed naturam; & in æternam personam divinitatis temporalem accepit substantiam carnis.* Petrus Lombardus lib. III. sent. dist. v. cap. 1. hæc quoque Concilii illius allegat, persuasus eandem iis sententiam insinuari: *Vnius substantiæ credimus Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum: non tamen dicimus, quod hujus Trinitatis unitatem Maria virgo genuerit, sed tantum Filium, qui solus naturam nostram in unitatem personæ suæ assumpsit. Incarnationem quoque hujus Filij Dei tota Trinitas operata esse credenda est: solus tamen Filius formam servi accepit in singularitatem personæ.*

V. Ipse mox Magister cap. II. statuit, & personam Filij assumpsisse naturam humanam, & naturam divinam humanæ naturæ in filio unitam, eamque sibi univisse vel assumpsisse: unde & vere incarnatam dici. Quam doctrinam Nostrates communiter probant & tuentur.

VI. Cæterum neque Veteres illi, qui Naturam hic no-

minant, & terminum incarnationis faciunt, eo Personam
removeant (quamvis aliquos securius & minus ἀνεβώς lo-
cutos esse, negari forte non possit:) neque qui Personam
ponunt, excludunt Naturam. Basilius enim carnem
Deitatis participem factam, Domini, hoc est, Filii, adeo-
que personæ carnem vocat, & hoc ipso Personam quo-
que incarnatam esse significat. Augustinus vero etsi lo-
co citato formam servi à forma divina assumptam dicit,
in Enchiridio tamen ad Laurentium cap. xxxviii. *illam
creaturam, quam virgo concepit & peperit*, h. e. substantiam
humanam, ad personam Filij pertinere docet. Et Theo-
doretus illis, quæ adlegavimus, præmiserat, *λόγον natu-
ram humanam assumpsisse, & hominem factum esse. λόγος*
autem in mysterio hoc nomen non naturæ duntaxat, ve-
rum etiam personæ est. Ut proinde, quod punctum hoc-
ce attinet, huc toto textu isto tendat Theodoretus; sic
Naturam divinam Christi assumpsisse humanam, ut etiam
Persona assumerit. Neque aliter capienda Fulgentii &
Hieronimi (si is autor est) verba sunt. Neuter enim so-
li Naturæ, sejunctâ Verbi substantiâ, incarnationem
tribuit. Damascenus vero suam & Athanasii ac Cyrilli
sententiam satis declarat; nempe, Naturam Verbi incar-
natam esse, quatenus humanitati in Persona Verbi unita,
adeoque & hæc ipsa, Persona inquam, unita illi & incar-
nata sit. *In humanatione unius sanctæ Trinitatis personæ,
Dei Verbi, inquit c. vi. dicimus, omnem & perfectam divinitatis
naturam in una sui ipsius hypostaseon unitam omni, h. e. toti,
humana natura, & non partem parti.* Quomodo & ista, quæ
paulo post sequuntur, intelligenda: *Omni, sive toti, huma-*
*na natura in Christo dicimus unitam esse omnem divinitatis
substantiam; certa videlicet ἁποσώσεως terminatam.* Mox
ait: *Totum totus assumpsit me; id est, naturam humanam.*

(Totus

(Totus autem nomen est hypostaseos repræsentativum: quem admodum ipse cap. VII. notat.) Item: Unitum igitur est carni Verbum Dei. Sub finem capituli: Quando dicimus, naturam Verbi incarnatam esse, secundum beatos Patres, Athanasium & Cyrillum, divinitatem dicimus unitam esse carni; in persona nimirum Filii. Quid, quod ibi protestetur & concludat Damascenus, se naturam Verbi dicentem, ipsum Verbum significare; siquidem Verbum, & quod commune substantia est habeat, & quod proprium hypostaseos. Post principium capituli septimi discrete profitetur, Filium in ipsa plus quam æterna sua hypostasi ex sancta virgine suscepisse carnem. Capite undecimo: Inquit beatus Cyrillus: Natura Verbi, id est, hypostasis, est ipsum Verbum. Quare dicendo, Naturam Verbi, neque hypostasim solam significat, neque commune hypostaseon, sed communem naturam in Verbi hypostasi totaliter consideratam. Quod igitur natura Verbi incarnata est, id est, unita carni, dictum est. Postremo: Quod, inquit, Deitas (absolute spectata) homo facta sit, aut incarnata, aut humanata, nullo pacto audivimus: at quod Deitas unita sit humanitati in una sui ipsius hypostaseon, dicimus. Ita Damascenus.

VII. Doctores igitur isti, alique, locutione ea, quod divina Verbi Natura incarnata sit, carnis humanæ in Persona ejus assumptionem non negarunt: id quod etiam B. Hunnius notavit non longe post initium Quæst. & Resp. de Persona Christi: Patres, inquit, quando humanitatem *κοινωνόν*, consortem & participem factam scribunt Deitatis, ut Basilus; aut in Deitatis consortium assumptam, ut Gregorius Nazianzenus; aut divine nature *κοινωνόν* redditam, ut Damascenus, semper subintelligunt limitationem; nãd' hypostasim.

IIIX. Sed nec Ephesinis fuit Patribus propositum, anathematismo suo execrari eos, qui divinam Verbi substantiam inhumanatam dicerent, verum contra Nestorium, gemi-

geminam in Christo personam introducentē, pronuncia-
re, Verbum secundum hypostasim suam unitum esse carni,
propria subsistentia vacuæ, unumque proinde esse Chri-
stum, qui simul Deus & homo existat. Non etiam Patres
Toletani istis: *Solus Filius suscepit humanitatem in singularitate
persona, non in unitate divina natura, id est, in eo, quod proprium
est Filij, non quod commune est Trinitati:* (quibus terminum
inhumanationis personam constituunt:) Naturæ Verbi in-
carnationem abjudicant. Observavit enim ibidem Senten-
tiarum Magister, sic intelligenda esse, quod *proprie in hypo-
stasi Filij, non in tribus communiter personis, divina natura
humanam naturam sibi univerit.* Quam expositionem lau-
dat & probat magnus Chemnitius libro de Duabus Nat.
in Christo cap. II. Undecimæ autem Toletanæ Doctores
prioribus verbis, & toto illo articulo quinto, nihil aliud
volunt, quam, non esse duas in Christo personas; & in eo
personam quidem Deitatis assumisse, haut vero perso-
nam hominis esse assumptam. Quo non diffitentur, etiam
naturam, quæ in persona divina est, humanam suscepisse
carnem. Posterioribus Toletanorum illorum, quæ
Lombardus adducit, credendum proponitur, personas
divinas unam numero essentiam habere; & tamen non
Trinitatem, aut substantiam tribus hypostasibus insigni-
tam, sed solum Filium à Maria genitum esse, solumque
eum in personæ suæ unitatem naturam nostram assumisse.
Quo iterum non negatur, incarnationem etiam in Natura
Filij, quatenus *in personis* ejus definita est, terminari. Et
tenenda in universum regula B. Dn. D. Waltheri in Vin-
diciis Vaticinii de conceptione Domini Jer. xxxi, 22:
*Quotiescunque Veteres dicunt, solam personam Filij esse incar-
natam, personam Filij non opponunt divina ejus natura, sed per-
sona Patris & Spiritus Sancti;* cap. II. controv. VII.

IX. Me.

IX. Merito proinde Lombardus & Personam & Naturam Filii Dei clare ac diserte dicit incarnatam; quod, uti vidimus, antiquorum quidam non æque distincte fecerant. Et sane Personam Verbi humanitatem assumpsisse, illis Scripturæ locis docetur, quibus inhumanationis terminus vocabulo personam significante exprimitur: ut, Joh. I, 14: ὁ λόγος σαρκὶ ἐγένετο, *Verbum caro factum est.* Gal. IV, 4: *Emisit Deus ἑὸν υἱὸν αὐτῆς, γεννώμενον ἐκ γυναίκος, Filium suum, factum ex muliere.* Hebr. II, 14: *Αὐτὸς μετέχευε τῶν αὐτῶν, ipse (Filius Dei) participavit eisdem (carni & sanguini humano.)* Sed vero & in Natura Verbi assumptionem terminari celebri illo Pauli Col. II, 9. comprobatur: ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς, *In ipso (Christo) inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter.* Quo dicto Damascenus quoque lib. III. Orth. Fidei cap. VI. nititur, & τὸ corporaliter exponit; *in carne ejus*: quæ interpretatio etiam S. Athanasii est libro de Nat. Humana suscepta; ut & illius, qui commentarium in Epistolam ad Coloss. sub Hieronymi nomine consignavit. Sensus est: Tota divinitatis plenitudo, sive plenaria ac perfecta Deitas, habitat in corpore & natura Christi assumpta, cumque ea intime ac personaliter est unita.

X. Observandum autem primo, naturam divinam considerari dupliciter posse: 1. absolute, quatenus toti SS. Trinitati est communis. 2. relate, uti certo caractere hypostatico contracta & definita est, & in certa Trinitatis persona subsistit. Priore modo haut est incarnationis terminus; cæteroqui omnes tres personæ humanitatē assumpsissent: est autem posteriori, & in quantum personalem Filii Dei proprietatem gerit. Ac tamen *essentia sub proprietate, ipsa persona est*, veluti Franciscus de Mayronis in III. Sent. dist. III. q. XII. & Thomas part. III. q. II. a. II. notant, tamen in

B

Per-



Persona alius nihilominus est conceptus personalitatis, alius essentiae, personalitati subjacentis & ab ea determinata: pariter ac natura humana, ultimum suum complementum & subsistendi modum consecuta, ipsa est persona humana, & tamen alium conceptum humanitas personae, ceu subiectum ejus, alium persona, ut talis est, ingenerat. *Secundo* observandum, terminari aliquid in altero vel mediate, vel immediate; item, vel primo & principaliter, vel secundario & consequenter. Quum & Natura & Persona Verbi humanitatem accepisse, eique unitae esse dicuntur, tribuitur id personae primo ac principaliter, & tanquam termino immediato; naturae vero secundario tantum, & ut termino mediato: mediante videlicet personalitate natura naturam recepit, & in ea, ac per eam, altera alteri est conjuncta: unde & a medio illo unio ipsa naturarum personalis ac hypostatica appellatur.

XI. Ex hisce responderi Bellarmino potest, lib. III. de Incarnat. cap. VIII. contendenti, unionem personalem in Christo factam esse, non per communicationem alicujus caeteris personis communis, adeoque nec naturae divinae, sed ejus duntaxat, quod soli illi proprium est, h. e. per communicationem subsistentiae & personalitatis ipsius. Quod ut probet, inter alia anathematismum secundum Concilij Ephesini, & canonem primum Toletani sexti allegat. Sed neutrum pro Bellarmino facere jam patet. Anathematismo enim illo solum rejiciuntur, qui in doctrina de Christo alium Filium Dei, & alium Filium Mariae, atque inde non Verbum secundum hypostasim suam carni unitum, nec eandem Christi personam & Deum & hominem confiteantur. Canon vero Toletanus Filium non naturae divinae, certa proprietate characteristica limitatae, verum absolute

solute sumtæ, & reliquis duabus Deitatis personis contradistinguit: quod non Lombardus duntaxat agnovit, sed Bonaventura quoque expresse habet in III. Sent. dist. v. quæst. I. num. VI: *Ly Solum*, inquit, non excludit ibi (in Canone Toletano) naturam, quæ est in persona, & prædicatur de persona: sed excludit alias duas personas; scilicet Patrem & Spiritum Sanctum. Præterea autoritas illa non dicit simpliciter, quod solus Filius suscepit, sed quod solus Filius suscepit in unitate propriam. Et tunc non est instantia de natura: quia natura divina non suscepit humanam in unitate natura, sed in unitatem personæ.

XII. Deinde argumentatur Bellarminus: *Solus Filius Dei est incarnatus: ergo unio facta est per communicationem ejus, quod est proprium Filij, non ejus, quod est commune aliis personis. Sed sola subsistentia Filij est propria Filio.* — Ergo unio hypostatica facta est per communicationem solius subsistentiæ. Resp. Particula exclusiva *Solus* alias divinitatis personas, & consequenter essentiam non nisi αὐτῶς spectatam, ab incarnatione removet. Vnde ex eo, quod solus Filius incarnatus est, haud simpliciter sequitur, unionem personalem non esse factam per communicationem alicujus cæteris personis communis; sed, non esse factam per communicationem alicujus communis, quatenus tale est, h. e. essentiæ, uti omnibus tribus personis inexistit. Deinde, non sola subsistentia Filij est propria Filio, sed etiam natura subsistentiâ illâ, tanquam characteristicâ proprietate, insignita. Persona enim Filij nihil aliud nisi essentia divina est, certo characteri substrata, & filiatione restricta. Quod autem in descriptione alicujus per differentiam, vel aliquid differentiarum vicem gerens, contrahitur & restringitur, id, quatenus tale, soli definito competit, & proprium ei est. Tum;



quo Filius distinguitur a Patre & Spiritu S. illud ei est proprium. Atqui Filius ab illis distinguitur naturâ personali caractere insignitâ. Ergo natura sic spectata propria Filio est. Fallit itaque quod ex principio isto: *Solum subsistentiam Filio propriam esse*: a Bellarmino deducitur; nempe, unionem hypostaticam factam esse per solius subsistentiæ, & non naturæ, saltem cum relatione & proprietate personali acceptæ, communicationem: quamvis de cætero verum sit, & per jam dicta facile concedam, unionem illam subsistentiæ communicatione *immediate*; naturæ vero; *mediate* esse factam.

XIII. Atque idem procul dubio Catechismus Romanus vult part. I. cap. IV. num. IV: *Ut primum, in-
quiens, cum corpore anima in Christo conjuncta fuit, ipsa
etiam divinitas cum corpore & anima copulata est: quare si-
mul ac corpus formatum atque animatum est, corpori & animæ
divinitas conjuncta: ex quo fit, ut eodem temporis puncto per-
fectus Deus, & perfectus homo esset, & Virgo sanctissima ve-
re & proprie mater Dei & hominis diceretur, quod eodem mo-
mento Deum & Hominem concepisset.* Sane per & propter
quam unionem una eademque persona Christi Deus est
& homo, ea hypostatica est & personalis. Jam vero, ju-
dice Catechismo, ex divinitatis cum humana natura (in-
tra hypostasin) conjunctione, seu per & propter eam,
fit ut Christus simul Deus & homo existat. Conjunctio
igitur ista naturarum, unio hypostatica est. Quæ tamen,
sicuti ex superioribus intelligitur, ad substantiam divi-
nam solum mediate, ad personam vero immediate atque
primo referenda.

XIV. Et doctrinam hanc de hypostatica naturæ divi-
næ, uti quidem natura illa in Filio est, cum humanitate uni-
one, seu incarnatione (nam unio ista, & incarnatio, re ipsa
idem

idem sunt) præter Lombardum, cuius verba supra trans-
scripsimus, alii quoque celebres Scholastici profitentur.
Alexander Alensis parte III. quæst. IV. memb. I: *Naturam
divinam assumere humanam, potest accipi dupliciter. Vno modo
ut natura divina consideretur secundum se, ut una in tribus per-
sonis: & hoc modo non est concedendum, divinam naturam as-
sumsisse humanam, proprie sumendo assumere. Vel, secundum
quod consideratur natura divina tota in una persona, scilicet
filij. Et hoc modo natura divina assumpsit humanam, i. e. sibi
univit.*

XV. Albertus Magnus in tertium dist. v. art. IV:
*Per prius, secundum rationem intelligendi, incarnari conve-
nit persona, quam natura: nec convenit natura in eo, quod na-
tura est, sed potius natura secundum quod est in persona hac.*
Tribuit itaque etiam divinæ Christi naturæ incarnatio-
nem, non vero per prius, sive primario, sed secundario
& mediate. Et ne quis existimet, sermonem esse de
prioritate temporis ac durationis, aut essentiam a per-
sona separatam statui, apponit: *Nec dicimus hic, prius
tempore, vel ex hoc, quod natura secundum rem sit prior per-
sona, vel simplicior, sed quia in modo attribuendi sic est. Rur-
sus: Aliquid potest convenire per prius persona; sicut incar-
natio: — & per posterius essentia; propter hoc, quod non se-
paratur à persona, nec distinguitur ab ipsa realiter.*

XVI. Thomas parte III. Summæ quæst. II. art. I.
ad III: *Natura divina dicitur incarnata, quia est unita car-
ni personaliter. Quæstione III. art. II: In verbo assumptionis
duo significantur, scilicet principium actionis, & terminus e-
jus. Esse autem assumptionis principium, convenit natura divi-
na secundum se ipsam: quia ejus virtute assumptio facta est: sed
esse terminum assumptionis non convenit natura divina secun-
dum se ipsam, sed ratione persona, in qua consideratur. Et*

ideo primo quidem & propriissime persona dicitur assumere: secundario autem potest dici, quod etiam natura assumpsit naturam ad sui personam. Et secundum hunc modum dicitur natura divina incarnata. Et articulo. iv. ad ii: Natura dicitur incarnata ratione assumptis personæ, ad quam terminata est unio; nempe tanquam ad terminum proximum & immediatum: non autem prout est communis tribus personis. Dicitur autem tota natura divina incarnata, non quia sit incarnata in omnibus personis, sed quia nihil deest perfectione divina natura, personæ incarnata. Et licet articulo i. huius quæstionis, ut & qu. ii. art. ii. unio in persona, non in natura, facta dicatur, id tamen tantum de eo, quod immediate & primo factum, accipi oportet.

XVII. Bonaventura in interpretatione Canonis Toletani, quam antea allegabamus, naturam humanam a divina susceptam scribit, non quidem in unitatem naturæ, sed personæ. Modo dixerat: Conceditur, quod divina natura humanam assumerit, hoc est, sibi univerit. Univerit enim sibi humanam naturam, quamvis non in se ipsa, si-ve immediate, sed in una persona. Quæstione tertia num. xvi: Terminatio, inquit, competit natura ratione personæ. Interim terminus assumptionis respicit ipsam personam proprie & per se, hoc est, immediate, & non per aliud. Item: Divina natura, & divina persona unitur humane naturæ: & humana natura unita est divina natura, & divina persona. Quæstione v: Ista propositio debet & potest concedi: Divina natura est incarnata: quia scripta legitur. Rursus: Divina natura est incarnata, id est, carni unita. Et hoc absq; dubio verum est. — Et ideo ratione illius intellectus potest concedi hac propositio: divina natura est incarnata.

XVIII. Richardus de Media Villa in iii. dist. v. art. i. quæst. i: Divina natura incarnata est, & assumpsit huma-

nam

nam naturam. — Et Damascenus non negat Deitatem incar-
natam, nisi in quantum incarnari importat, rem incarnatam fi-
eri suppositum carnis. Mox exponit, quomodo natura di-
vina in Christo carnem assumerit, & unionis hujus ter-
minus sit: Agere, inquit, bene est à forma ut est in supposito.
Unde & assumere convenire potuit natura divina in quantum
erat in supposito: quamvis, sicut magis proprie dicitur supposi-
tum agere per formam, quam forma ut est in supposito: ita magis
proprie dicitur, quod divina persona assumpsit humanam naturam,
quam quod divina natura, ut existens in persona assumpsit eam.
Nempe persona, ceu suppositum, assumpsit humanitatē pro-
xime & immediate; natura vero remote ac per personam,
in qua est, & per cujus proprietatem quasi contrahitur
& determinatur. Nam huc fortassis locutione ista: ma-
gis proprie: tendit Richardus. Pergit: Assumere non tan-
tum importat actionem, sed etiam terminum actionis, quamvis
alio modo persona sit terminus assumptionis, quam ipsa natura:
quia persona Filij assumpsit humanam naturam ad se & in se ut
in supposito, sed divina natura assumpsit eam ad se, & non in se
ut in supposito, sed in persona Filij. Dico ergo, quod sumere ra-
tione actionis convenit tribus personis, quia omnes persona sum-
serunt naturam humanam ipsi Filio; sed esse terminum illius as-
sumptionis, non convenit tribus personis, quia non convenit
natura secundum se, sed tantummodo ut est in Filio.

XIX. Durandus III. Sent. dist. v. quæst. i. num.
v: Magis proprie convenit personæ assumere, quam essentia vel
natura, quia in supposito vel in persona, qua agit, aut assu-
mit, includitur essentia vel natura, per quam agit, aut assu-
mit. Hic Durandus carnis assumptionem & naturæ & per-
sonæ divinæ Christi tribuit; nisi quod personam assu-
mere dicat per naturam, quam etiam paulo ante rationem
agendi sive assumendi, & Dist. I. quæst. II. num. VIII. rati-
onem



onem tum uniendi humanitatem cum persona, tum illius ab ista dependentiam terminandi constituerat. Quod revera est, *primarium terminum assumptionis incarnationis que esse divinam naturam, secundarium autem personam.* Quomodo mentem Durandi Gregorius de Valentia explicat tomo iv. Commentar. Theol. Disp. i. qu. iii. punct. i. Quæ quidem eius sententia communiter a doctoribus Scholasticis, & a Valentiano quoque rejicitur. Numero vi. porro Durandus ait: *Assumere competit tam personæ, quam naturæ divinæ, perfectius tamen personæ.* — Et *Natura assumpta unitur utriq; scilicet supposito & naturæ divinæ, propter quod sicut Filius dicitur incarnatus, ita natura divina dicitur incarnata.* Perfectius tamen fit hæc unio cum personâ, quam cum naturâ quia unio naturæ assumptæ cum personâ est secundum duo, scilicet secundum naturam divinam, & secundum proprietatem relativam. Sed unio ejusdem cum naturâ divinâ est tantum secundum unum.

XX. Gabriel Biel in eandem tertii distinctionem quæst. un. art. ii. concl. v: *Quamvis humanam naturam assumpsit duntaxat Verbi suppositum: non tamen solum fuerat incarnatum.* Prima pars patet, quia solum Verbi suppositum terminavit unionem suppositalem naturæ humanæ (nam assumere secundum Gabrielem art. i. not. ii. est dependentiam suppositalem alterius terminare; quod solius suppositi esse, ex se liquet: quanquam ea non est perpetua & omnibus recepta vocis illius significatio.) Secunda pars probatur; quia incarnari est carnem assumptam in eodem supposito uniri. Sed natura divina unitur carnem assumptam a verbo in eodem supposito verbi. Ergo pars illa vera: non solum videlicet suppositum, verum etiam naturam Verbi incarnatam esse.

XXI. Stephanus Brulefer ibid. quæst. i: *Terminus, qui assumitur in ista unione, est natura humana: terminus qui assumit, est natura divina; terminus nempe mediatus: sicuti patet*

pater ex quæst. III. ubi hæc comparent: *Assumptio in quantum est terminatio, competit naturæ ratione personæ: id est, personæ immediate; naturæ mediate.*

XXII. Petrus Tataretus Reportatis in hanc ipsam distinct. quæst. I: *Essentia divina mediate assumpsit, & terminavit istam unionem. Pater: quia Verbum fuit terminus totalis; ideo essentia, quæ erat in Verbo, mediate assumpsit, & mediante Verbo terminavit istam unionem, quia fuit terminus remotus. Addo adhuc Cajetanum, qui in III. Thomæ q. III. a. II: Propriissime, inquit, & primo convenit personæ assumere. Natura autem divina secundario est incarnata, quia scilicet carnem ad sui personam assumpsit. Rursus: Assumere terminative convenit primo personæ: natura non convenit nisi ratione personæ.*

XXIII. Sic Doctores illi: plane ad mentem Ecclesiæ nostræ Theologorum; nisi quod forte in modo loquendi unus alterque variet. Et licet alii quidam ita de hac materia disputent, ut incarnationem in solam Verbi personam, & non in naturam transferre videantur, oratio tamen tunc ipsis duntaxat est de natura divina sub conceptu absoluto, & de termino immediato, primaque terminandi ratione: quo pacto verum est, non naturam, sed personam humanitatem assumpsisse. Johannes de Rada parte III. contro. I. art. III. concludit, unionem hypostaticam humanæ naturæ cum Verbo non esse factam primo & immediate in divina essentia, seu in aliquo absoluto, tanquam in termino formali: sive, quod idem esse ait, rationem formalem & proximam terminandi unionem hypostaticam, non esse divinam essentiam, vel aliquod absolutum; sed esse proprietatem personalem Verbi, adeoque unionem istam proxime & immediate esse in aliquo relativo, nempe in persona, quæ in Divinis respectum primo significat, factique

C

citque



citque ut ipsa essentia, personali videlicet caractere insignita, respectivi denominationem consequatur. Interim concedit Rada, *totam integramque Divinitatem unitam esse humanitati*, hoc ipso, quod *Filius Dei est unitus humana natura*. Res ergo huc redit; essentiam divinam absolute acceptam haut esse carni unitam, sed tamen sumtam relate, uti in persona Verbi est, ad quam unio ista proxime & immediate terminetur; ad essentiam vero mediate & per personam.

XXIV. Similiter Martinus Becanus parte III. Theol. Schol. tract. I. cap. IV. quæst. I. concl. III. personam Filii dicit humanitatem terminative assumere per relativam subsistentiam seu personalitatem, tanquam primam terminandi rationem; & non per aliquod absolutum, toti Trinitati commune. Quorum sententia est, naturam divinam, quod ad absolutum & communem sui conceptum, nec terminum, nec terminandi rationem, assumptionis humanitatis esse; terminare autem personam, & quod absolutum non est, id est, naturam relative acceptam (quamvis diversimode:) Nam dum solum absolutum a terminatione Becanus excludit, utique eo præter personalitatem etiam essentiam sub respectu positam, & subsistentiæ ac personalitati substratam, refert, præsertim quod essentia divina sub proprietate & relatione revera ipsa sit persona. Quo pertinent quæ ibidem cap. VII. quæst. III. §. III. & lib. II. Manualis Controversiarum cap. I. §. XV. de hypostaseos & essentiæ communicatione disserit: *Sola, inquit, subsistentia Verbi proxime, immediate & formaliter communicata est humanitati in se, & per illam proxime, immediate & formaliter subsistit humanitas. Sed quia illa subsistentia re ipsa idem est cum essentia & attributis divinis, ideo consequenter & identice*
essen-

essentia & attributa divina communicata sunt humanitati. Si autem subsistentia Verbi primo & proxime, natura vero ejus propter realem cum subsistentia identitatem consequenter est humanitati communicata; etiam subsistentiæ & personæ primo ac proxime incarnatio, naturæ autem ob identitatem illam saltem secundario tribuenda erit.

XXV. Porro scribit Chemnitius cap. II. libri de Duab. Nat. in Chr. sciolos quosdam (loquitur de Calvinianis nonnullis) ex Canone Synodi Tolercanæ male intellecto disputare, cum essentia divina tribus personis communis, & solus tamen Filius incarnatus sit, *ideo non ipsam naturam divinam & λόγος, sed solam Filij hypostasin unitam esse assumptæ humane nature.* Rursus: *Fingunt, ait, non divinam naturam Filij Dei, sed solum ejus hypostasin unitam humane nature, quasi scilicet hypostasis Filij sit absque Deitate, vel quasi extra & præter divinitatem subsistat.* Contra Lambertus Danæus in Examine Chemnitiani illius libri cap. II: *Quod Chemnitius scribit, à quibusdam (quos contumeliose Sciolos appellat) disputari, & dici cœptum esse, non ipsam naturam & λόγος, sed solam Filij hypostasin unitam esse assumptæ humane nature, commentitium est, & veræ eorum, quos iste arguit, sententiæ repugnans.* Videtur Danæum offendisse, quod complices sui solam Filij hypostasin in abstracto incarnationis sive unionis terminum facere perhibeantur, forte hanc illorum sententiam esse negans, & de hypostasi in concreto exponens. Nihilominus capite IV. Chemnitium reprehendit, quod *ajaz, Divinam naturam, quæ in solius Filij Dei persona est, assumpsisse humanam.* Nam, inquit, *si proprie loqui voluit, dicendum scribendumque potius erat, Personam Filij, non autem Naturam divinam Filij, assumpsisse sibi nostram naturam.* (Pro qua sententiâ mox Concilium



cilium Toletanum vi. allegat.) Et quanquam in Divinis
essentia & persona re sunt idem, idcircoque promiscue his phra-
sibus utuntur Patres: Natura Divina, vel Persona Filij, assu-
sit humanam naturam: tamen de persona Filij potius, melius, &
verius, quam de natura divina, quæ in Filio est, dixerimus,
quod illa nostram naturam, id est, humanam assumpsit. Divi-
na enim illa natura, quæ est in Filio, est eadem etiam numero
cum ea, quæ est in Patre, qui tamen nostram naturam assumpsisse
nequaquam dici potest. At persona Filij non est eadem cum per-
sona Patris. Ut ad evitandum Sabellianorum errorem tutissi-
ma sit hæc phrasis: ὁ λόγος seu persona Filij nostram naturam
assumpsit: Illa vero periculosa: Divina natura Filij, seu quæ est in
Filio, naturam nostram assumpsit. Præterea non natura naturam,
sed persona naturam humanam in sua ὑπαδείξεως & sustentationis
unitatem asciivit atq; copulavit. Ita ille.

XXVI. Hic merito quærimus, quomodo vocabu-
lum persona Danaus capiat; num abstracte, an concrete?
Si abstracte; non debuit Chemnitium commenti, & vi-
olati candoris in enarranda Calvinianorum quorundam
sententia accusare. Sin concrete; primo fateatur ne-
cesse est, etiam naturam, licet mediate tantum, incarna-
tam esse, quia persona divina in concreto est natura sub-
sistentiâ insignita: quod tamen si Danaus faciat, simul li-
tem Chemnitio male intentatam esse agnosceret. Secundo,
impertinens illo pacto istud ejus est argumentum; quod
quia natura divina Filij eadem sit numero cum natu-
ra Patris, nequeat dici humanitatem assumpsisse. Hoc
enim considerandi modo personam naturæ absolute spe-
ctatæ opponit, de qua tamen quæstio non est, sed de
natura, uti est sub proprietate characteristicâ seu perso-
nalitate Filii: quomodo etiam Chemnitius controver-
sæ statum, & mentem suam, disertissime explicavit. Ve-
rum

rum de secundo hoc, & reliquis Danæi, mox porro dicetur.

XXVII. Eandem, quam ille, sententiam Theodorus Beza parte 1. Responsi ad Acta Colloquii Mompelgartensis, amplexus est. *Natura divina, inquam, non temere dici debet naturam humanam assumisse, propter multiplicem videlicet ambiguitatem, qua Sabellianis favere videtur. — Immo ne Deitas quidem verbi dici absque ambiguitate potest naturam humanam assumisse: quam phrasin coactus est Cyrillus explicare. Etsi enim Deitas Verbi & Verbum, ut Deitas & Deus, re ipsa unam & idem sunt, non uno tamen & eodem modo à nobis semper ista considerantur. Naturam enim Verbi quum dicimus, non hypostasim ipsam, & subsistentiam divinam, sed ipsam essentiam in Verbi persona consideratam significamus. Sed ὁ λόγος potius ac magis proprie dicendus est humanam naturam assumisse. Et Georgius Sohnius tom. 1. The-
sibus de Incarnatione Filii Dei, iv. v. vi: *Filius Dei, & quidem solus, factus est homo, non Pater aut Spiritus Sanctus, ut passim Scriptura testatur. Ac proinde persona incarnata est, non natura divina, si proprie loqui volumus. Nam persona est propria Filij: natura divina ipsi cum Patre & Spiritu sancto est communis. Adde ex tomo II. commentationem in Articulum III. Augustanæ Conf. lect. de Incarn. λόγος, & de Unione Personali.**

XXVIII. Sohni, uti patet, idem quod Danæi argumentum est; nempe hoc: Natura divina Filii eadem numero est, quæ Patris & Spiritus Sancti: Persona autem Filii his non est communis, sed ipsi propria: Ergo non natura, verum persona Filii incarnata est. Distinguendum vero erat inter naturam Filij, quatenus ipsi cum Patre & Spiritu S. communis est, ac simpliciter spectatur; & quatenus sumitur relate, considerata cum cer-



to subsistendi modo. Priori significatione verum est, natura in Filii non esse incarnatam; posteriori falsum: pariter atque falsum est, naturam divinam, certæ relationi quasi subiectam, & in Filio determinatam, ipsi cum Patre & Spiritu S. esse communem. De altera autem duntaxat acceptione ista naturæ nunc quæritur: de qua nisi quæstionem Scriptores illi intelligant, cum larvis meris contendunt, & Doctoribus nostris controversiam improvide movent. Et persona quidem Filio propria est: sed cum natura filiatione insignita revera persona Filij sit, liquet, etiam naturam sub conceptu isto propriam ipsi esse; eoque ut personam, sic naturam quoque Filij recte incarnatam dici; hoc solum discrimine observato, quod incarnatio immediate ac primo in subsistentia & personalitate; mediate vero ac secundo in natura terminetur.

XXIX. Qua ipsa responsione solvitur alterum istud Danaï; non naturam, sed personam in suæ *ὕπαρξιν* unitatem humanam naturam adscivisse & sibi copulasse. Non adscivit scilicet & copulavit naturam natura absolute accepta: adscivit tamen ac copulavit natura ut sub Filiatione posita est, & personali caractere isthoc insignita: neque id immediate, verum interventu hujusce proprietatis, tanquam primarii copulationis termini.

XXX. Nec vero apparet, quæ ita sentientes Sabellianorum errorem, quod Danaus ac Beza metuunt, non satis caveant & evitent, aut saltem favere ei videantur. Sabellius enim, Noëtum præceptorem secutus, Patrem, Filium & Spiritum S. unam personam trinominem, unamque eorum hypostasim fecit, testibus Epiphanio hæ. lxxii. cap. i. Augustino hæ. xli. Theodoreto lib. ii. de Fab. Hæ. & Dialogo ii. c. iv. Vigilio lib. ii. adversus Eutychem. Qui autem naturam divinam communiter & relate sumunt

inunt, & altero isto considerandi modo incarnatam do-
cent, nihil tale doctrina illa vel profitentur, vel leviter
etiam insinuant; quin potius hoc ipso Sabellianismo con-
tradidunt, certam videlicet in natura divina hypostasin
ac relationem constituentes, qua ipsa ad personam Filii
quasi contrahatur, & eo pacto aliis suppositis, quibus cæ-
teroqui communis est, inesse negetur. Haut equi-
dem temere natura divina citra omnem cautionem &
limitationem, humanam assumpsisse dicenda est; quia
id sensum gignere absolutum possit: eaque in re faci-
le Beza assentior: interim, qui forte locutione ea u-
tuntur, naturam divinam non aliter nisi relate, & uti in
persona Filii est, accipiunt. Similiter quibus essentia Ver-
bi incarnata dicitur, non volunt, eam, quatenus in se
ipsa spectatur, & Patri quoque ac Spiritui S. communis
est, carnem assumpsisse, sed uti præcise Verbi substantiã
ac personalitate est determinata: neque aliter id S. Cyril-
lus intellexit, quemadmodum Damascenus lib. III. Orth.
Fid. cap. XI. explicat. Ac sane fatetur Beza, Naturã Ver-
bi ipsam essentiam in Verbi persona consideratam signi-
ficari. Quid autem quæso est essentia in Verbi persona
spectata? Non certe aliud, quam Natura caractere hy-
postatico Filii definita. Hoc autem demum sensu Natu-
ram divinam Verbi incarnatam dicimus.

XXXI. Quod si Danaus, Beza, ac Sohnius, quando
a persona, & non a natura, *proprie* humanitatem assum-
tam contendunt, adsertione ea personæ assumptionem
primario & principaliter, naturæ vero *secundario ac minus*
principaliter tribuerent, pugna nulla foret. Quo vero
minus ita sensisse censendi sint, ipsa cujusque disserta-
tio & deductio prohibet, qua aut nullum, aut non satis
evidens mentis huiusmodi indicium faciunt, nisi atten-
den.

dendum existimes, quod Beza τὸν λόγον magis proprie humanam naturam assumpsisse scribat, eoque tacite agnovisse videri possit, naturam quidem vere & proprie assumpsisse, magis tamen proprie personam: quod item Danaus de persona Filii, potius, melius & verius, quam de natura ejus, id pronuntiari putet, atque ita isthuc tendere videatur, humanitatis assumptionem de natura Verbi recte & vere, sed de persona ipsius melius & verius, id est, principalius (sic enim mentem Danaei exponas) ob immediatam nimirum terminationem, quæ in persona fiat, prædicari. Sed si hoc vellent, 1. neuter procul dubio Sabellianismum objiceret. 2. neque seorsim Danaus Chemnitium, cujus perspicua verba utique legerat, argumentis adoriretur, non magis ea ratione contra Chemnitium, quam ipsum, met Danaum valituris, & ad rem atque quæstionem nihil omnino facientibus.

XXXII. Equidem B. quoque Horneius noster part. II. Disp. Theol. I. sect. III. num. XLIII. negat, naturam a natura proprie assumi, & soli id personæ Verbi attribuit. Sed mox tamen profitetur, assumere naturam & terminum receptionis esse, uti in persona assumente est, quamvis non assumat ut in se ipsa consideratur, & tribus personis ex æquo competit: Item, principaliter assumere personam, secundario vero naturam ejus. Verba sunt: Primo dixerat: *Nec persona personam, nec proprie natura naturam, sed persona Verbi, seu Filij Dei, naturam humanam assumpsit.* Postea subjungit: *Nec natura naturam assumpsisse tam proprie dicitur, quam persona assumpsisse naturam.* Nam cum vox assumptionis duò significet; principium actionis istius; & terminum ejus; esse quidem principium assumptionis, natura divina secundum se ipsam convenit, cum ejus virtute & potentia adsumtio illa facta sit; at terminum assumptionis

tionis illius esse, non competit ei ut in se ipsa consideratur, sed prout in persona ea, quæ assumpti. Vnde principaliter quidem & propriissime persona adsumere dicitur naturam, secundario autem etiam natura naturam assumptam dici potest in personam seu hypostasim suam. Docet igitur 1. assumptam naturam, non in se & absolute, verum relate spectatam, ut in persona Filii est. 2. assumptam mediate & secundario, non immediate, primo & principaliter; quod ipsi initio dicebatur, non proprie assumptam. Ut tò proprie heic Hornejo non idem sit, quod revera, sed quod primo & principaliter. Et eodẽ modo ante Hornejum doctrinam istam tradiderunt ac locuti sunt non Thomas tantum, (cujus verba supra ex parte III. q. III. a. II. adduximus, & ad quem Hornejo provocat) verũ alii etiam, quos antea citavimus, Scholastici, & inter nostros B. Grawerus Supplemento Articuli III. August. Confess. principio sect. IV. de Incarn. *Incarnatio Filii Dei*, inquit ille, *proprie competit secunda persona Trinitatis, videlicet Filio Dei: non quod improprie competat essentiæ ejus, sed quod secundario & mediate, sive in ipsius persona; Filio autem proprie, h. e. primo & immediate: quam Graweri mentem ex illis, quæ ibi subjicit perspicere est.*

XXXIII. Atque sunt inter ipsos Reformatos, qui in doctrina hac nobiscum consentiunt. Zacharias Ursinus Explic. Catech. part. II. q. xxv. sect. IIX: *Non quisquis est essentia divina, est incarnatus: sed essentia divina in solius filii ~~car~~ carnis est incarnata.* Et quæst. xxxiii. circa finem: *Non quicquid est essentia divina, est incarnatum, hoc est, non omnis persona in essentia divina subsistens est incarnata: seu non incarnata est essentia divina in tribus personis, sed in una tantum, nempe in persona Filii.* Amandus Polanus lib. VI. Syntagm. Theol. c. XIII: *Licet una & eadem natura sit Patris & Filii, tamen aliter est in Patre, aliter in Filio.* Tum

D

non



non simpliciter natura divina, sed natura divina determina-
ta in Filio, id est, hypostasis seu persona Filii incarnata est. Jo-
hannes Piscator Volum. I. Theol. Theol. Loco x: Nature
Christi sunt duæ: una assumens, altera assumta. Natura as-
sumens est ea natura, qua Christus ab aeterno ὑφιστάμενος & se-
cunda persona S. Trinitatis fuit, quaque in sua ὑπόστασις uni-
tatem, non hypostasin humanam, sed naturam propria ὑπόστα-
σις expertem assumpsit, eamque sic assumtam in aeternum gestat
ac sustentat. Dum ait, naturam assumentem in ὑπόστασις
suae unitatem assumpsisse naturam humanam, eamque
gestare ac sustentare, a Danæo discedit, qui modo nega-
bat, naturam a natura in sua ὑπόστασις & sustentationis unita-
tem adsciri atque copulari. Post aliqua iterum Piscator:
Hypostatica unio est unio assumentis (nempe divina) & assumtae
(nempe humanae) naturæ. Matthias Martinus in Theologia
de Unica Dom. nostri Jesu Chr. Persona lib. I. part. II.
tract. II. cap. XVI. num. IX. ad objectionem: Si una est
essentia trium Deitatis personarum: Ergo incarnato Filio in-
carnatus etiam est Pater & Spiritus Sanctus; ita respondet:
Nulla est ista consequentia. Hoc enim tantum sequitur ex nostra
doctrina, eandem essentiam, qua est in Patre & Filio (nam sin-
gule personæ sunt ἕνθετοι, q. d. inessentiales, i. e. in essentia
subsistentes) eandem, inquam, essentiam incarnatam esse. Et
hoc verum est, quod tota essentia divina sit incarnata, sed tan-
tum quatenus ea tota est in Filio, & cum Filii characteristica
proprietas constituit secundam personam Deitatis. Et libro
II. part. I. tr. I. c. XI. n. VII: Uniri & assumi non sunt idem.
Nam uniri dicuntur ambæ naturæ, divina & humana: assumi
autem tantum una, nempe humana. Divina enim non assumi-
tur, sed assumit. Et assumptio proprie est constitutio unionis, quod
scilicet Deitas ad se recipit humanitatem, ac sibi uniri.

XXXIV. His Wendelinus accedat, qui in Christia-

na

na Theologia, & Systemate ejus Majore, lib. i. cap. xv.
in Explic. thes. iiii: Unio hypostatica distinguitur in imme-
diatam & mediatam. Immediata est inter personam τὸ λόγος
& naturam humanam, quam in personae unitatem assumpsit λό-
γος. Mediatam est inter naturam divinam & humanam: Huma-
na enim natura unita est divina non nisi in persona τὸ λόγος:
Unde nec Pater, nec Spiritus S. est incarnatus, etsi plane eadem
est λόγος, Patris, & Spiritus S. divina natura. Quod a
Patribus quoque diligenter observatum, praesertim post Eutychi-
ana certamina. Subjicit statim & commendat testimo-
nium Rustici Diaconi e Dialogo contra Acephalos cap.
x: Non Deus Verbum per divinam naturam, sed divina natura
per Dei Verbi personam unita dicitur carni. Si enim tota Trini-
tas incarnari voluisset, tum forsitan juste ipsa per semet ipsam
fuerat incarnata natura. Omnia enim, quae illi natura secundum se
& propter semet ipsam adsunt, communia Trinitatis & non pro-
pria unius soliusque personae sunt. Inhumanatio autem non
Trinitatis communis, sed propria solius est substantiae Verbi.
Incarnatus est igitur & Deus Verbum, & natura ejus, sed ille
quidem per semet ipsum, & secundum quod & ipse. Illa vero non
ita, sed per personam. Capite praecedente xiv. Systematis
in Expl. thes. iiii. scripserat Wendelinus: Natura, non
communiter considerata, sed in Filio per singularem ὑπαρξίως
τὸ πρῶτον determinata, est incarnata. Similiter Exercitatione
Theolog. contra Gerhardum xlv. §. viii: Unio non infere
immediatam naturarum conjunctionem. Etiam si enim unio re
ipsa non est nisi una: tamen modo considerationis distinguitur a
Theologis in Immediatam & Mediatam. Illa est personae as-
sumptivae, & naturae humanae assumptae: haec est duarum natu-
rarum inter se, facta mediante persona. Non enim natura divi-
na absolute considerata humanae est unita & incarnata, sed
quatenus est τὸ λόγος, secunda Deitatis personae. Paulo post:



Non essentia absolute sumta est incarnata, sed persona tantum
Filii, seu essentia quatenus est Filii, non quatenus est Patris, vel
Spiritus S. Videtur igitur synonyma mihi esse, personam Filii,
& essentiam quatenus est Filii, hoc est, quatenus singulari τῆ-
πω ὑπαρξῆως a Patre est distincta. Neque enim vis assentior, qui
personam divinam non nisi τῆπον ὑπαρξῆως esse volunt. Quin
potius includit persona τῆπον ὑπαρξῆως, & naturam: quæ ita
differunt, ut natura absolute considerata sit communicabilis;
τῆπον, incommunicabilis.

XXXV. Non existimat autem Wendelinus, ab hac
doctrina Beza, Danæum & Sohnum dissentire; quod
solum naturam divinam absolute sumtam incarnatam
negent, simpliciter autem & omni ratione eam ab ope-
re isto non excludant, quin arctissimam naturæ cum na-
tura in Filio unionem agnoscant. Sed hoc pacto, ut
ante monui, Theologis nostris controversiam inique
conciunt, & cum umbris luctantur; quum nostrates cla-
re professi sint, non sibi sermonem isto in negotio de di-
vina essentia secundum communitatem suam esse, verum
quatenus certa proprietate ac relatione terminata atque
num. 23. insignita est. Deinde tamen Beza, discursu supra ad-
ducto, Naturâ Verbi essentiam in Verbi persona confi-
deratam significari scribit, & modo illo naturam incar-
natam negat. Natura autem in Verbi persona spectata,
relative & cum ὑπαρξῆως τῆπω, non vero absolute, acci-
pitur. Unde dum naturæ, ita consideratæ, carnis assump-
tionem derogat, manifeste naturam sub τῆπω isto posi-
tam, humanitatem assumpsisse inficiatur. Nec satis vi-
deo, qui Danæus absolvi possit. Dicit enim, personæ
Filii potius, melius & verius, quam naturæ, assumptionem
tribui. Atqui naturæ absolute sumtæ nullo modo ea
competit, neque mediate, neque immediate. Relinquitur

tur ergo, ut hanc thesin & quaestionem de natura relativa proprietate insignita intelligat, & incarnationem in ea terminari neget, vel certe illi non æque bene vereque, quam personæ tribui arbitretur. Denique naturam divinam cum humana mediante hypostasi unitam concedunt quidem, sed incarnatam tamen diffitentur: quod & Sohnius facit. Distinguunt enim inter unionem & assumptionem sive incarnationem, tanquam inter latius & angustius; quarum illa naturæ & hypostasi, ista hypostasi soli conveniat. Hinc Sohnius in Methodo Theologiae tom. i. *assumptionem humana natura tantum in ordine* p. 172. ad personalitatem definit, eam esse ajens, qua Filius Dei humanitatem *sua hypostasi univit*. Ubi non omisisset certe naturam, si & hanc assumpsisse atque incarnatam esse credidisset. Quanquam, si rem ipsam videas, nullum hic est inter unionem & assumptionem discrimen. Hoc ipso enim quod personæ divinæ humanitas unita fuit, ipsa istam assumpsit ac incarnata est: adeoque & hoc ipso, quod naturæ divinæ unita fuit humana, illa assumpsit eam. Diversa autem tantum intercedit habitudo; & unio vocatur, quatenus utrumque extremorum respicit, & alteri subjective inest: assumptio autem & incarnatio, pro ut in altero sive primo sive secundo terminatur. Quare quum Sohnius tom. ii. in art. i ii. August. Conf. ait, p. 209. *humanam naturam uniri personæ λόγος non potuisse, quin simul natura divina ejusdem uniretur*: fateatur necesse est, etiam naturam illam uniri non potuisse cum divina Verbi, quin unā ab ea assumeretur.

XXXVI. Nunc ut rem in pauca conferam, ex principio supra posito sic argumentor: Quicquid simplex & ἁπλοῦς Filii Dei persona in ὑποστάσει suæ unitatem assumpsit, id & natura ejus divina, ὑποστάσει illa insignita,

D 3,

assum-



añumūt. Ratio est, quia persona Filii, & natura, *ἡ οὐσία* eius definita, unum prorsus idemque sunt. Persona quippe Filii essentialiter naturam divinam, tanquam materiale seu subiectum, ut sic loquar, vim & virtutem operandi, recipiendi ac uniendi ipsi conferens; & hypostasin, tanquam formale, complectitur, & ex illis intrinsece constituitur. Sed persona Filii Dei assumpsit naturam humanam, siue incarnata est. Ergo & natura eius divina, ceu materiale & essentielle, hypostasi substracta, assumpsit. *Persona in divinis*, ait B. Gerhardus tom. 1. *Locor. de Pers. & Offic. Christi num. xx. non est nudus οὐσίος ὑπόστασις, sed est ipsa essentia certo caractere hypostatico insignita. Ergo Persona Filii complectitur etiam in se divinam Naturam, vel potius est ipsa Natura divina, sed certo caractere hypostatico insignita. — Divinitas tota & perfecta est in qualibet persona: ergo incarnata una persona, recte dicitur, totam divinitatem incarnari, videlicet in una illa persona τὸ λόγος.*

XXXVII. Quibus ita constitutis ac demonstratis finem continuo facerem, nisi ab impacto errore vindicandum esse arbitrarer Theologum gravissimum & suo utique merito magnum, Dn. D. JOACHIMUM HILDEBRANDUM, Supremum Ecclesiarum in amplissimo Ducatu Luneburgico Antistitem. Quam quidem provinciam vel ipsa pietas in Virum optimum, & innocentia eius, & veri amor nobis imponunt. Dicam illi anno superiore scripsit, & consensionis eum cum Calvinianis ac Pontificiis in hoc doctrinae capite coram Ecclesia Dei reum egit, Witteberga tunc discessurus Dn. D. Samuel Pomarius, eo tempore Academiae illius Extraordinarius Theol. Professor, hodie Superintendens Lubecensis. Ita enim, in *Analyti & Exegesi Articuli III. Augusti.*

gustanae Confessionis de Christo §. xvii: Neque vero, inquit, sola Persona vel hypostasis Filii Dei, sed & ipsa Natura sive Essentia divina τὸ λόγος incarnata, & assumpta humanitati unita est, quod frustra inficiantur Calviniani & Pontificii, & cum iis D. Hildebrandus Instit. Sacr. Diss. 13. 2b. 23. Gravis profecto & iusto licentior accusatio, eoque haut temere mussitanda. Ac tametsi vel nuda loci allegati inspectio sufficere poterat pernoscendae laudatissimi Viri innocentiae, neque bonorum quisquam exprobrationi istius aurem facile accommodabit, aut sequius suspicabitur, tamen res falsa & inanis, ut S. Augustinus ait, nisi corrigatur, habet nonnunquam fidem: multique sunt homines iudicii parum firmi, qui nihil audiunt leguntve, quod non credant, nisi refutatum sciant.

XXXVIII. Sistam jam ergo ipsa Dn. D. Hildebrandi verba, ut iudicium æquus & Christianus lector ferat, num is heic a vero discesserit, & cum Calvinianis ac Pontificiis faciat. Sic ille loco a Dn. D. Pomario indicato: Formula inter Theologos controversa: Essentia Divina est incarnata: etsi catholico sensu exponi possit, h. m. Persona F. D. quæ est essentia divina, incarnata est: Item: Essentia F. D. (characterè hypostatico insignita) est personaliter unita carni: simpliciter tamen, & nat' αὐτῆς βίωσιν vera non est: nam Essentia in Divinis ex vulgato loquendi more Naturam tribus personis communem denotat. Hanc vero incarnatam nemo citra hæreseos notam dixit. En diserte Vir celeberrimus docet, 1. non hanc solum catholicam esse propositionem: Persona Filii Dei, quæ est Essentia Divina, incarnata est: verum etiam istam: Essentia Filii Dei, characterè hypostatico insignita, est personaliter unita carni. 2. si αὐτῆς βίωσιν in loquendo seceris, simpliciter dicendum non esse: Essentia Divina est incarnata: propterea quod essentia in Divinis
vulgo

vulgo Naturam, non certa hypostasi definitam, sed tribus personis communem denotet, quæ citra hæreses crimen nequeat incarnata dici. 3. Interim tamen formulam istam benigne exponi posse, sic, ut terminus *Essentia Divina* supponatur seu accipiatur non pro Natura Divina in se & absolute spectata, verum pro *Persona Filii Dei, quæ est essentia Divina*: vel, pro *Essentia Filii Dei, caractere hypostatico insignita*.

XXXIX. Judicet nunc lector candidus, quo jure erroris hîc insimuletur, & Calvinianis ac Pontificiis accenseatur Dn. D. Hildebrandus. Sane D. Pomarii thesis est; *Essentiam divinam τὸ λόγῳ incarnatam, & assumptam humanitati unitam esse*: eam vero totidem pene verbis Dn. D. Hildebrandus effert ac profitetur: *Essentia Filii Dei, inquit, est unita carni*. Thesin illam suam D. Pomarius de essentia divina τὸ λόγῳ, certo caractere & proprietate hypostatica in ipso λόγῳ determinata, adeoque relate, non absolute & communiter accepta, intelligit. Sic enim porro differit: *Modo distinguatur inter Essentiam ac Naturam divinam, consideratam simpliciter & absolute, prout omnibus tribus Personis communis est; & relate seu determinate, prout per certum τὸ ὑπορξῆως in Filio caractèrizata, & proprietate personali interna restricta est; & salva res erit. Non priori, sed posteriori modo Deitas τὸ λόγῳ dicitur incarnata, & humane Natura unita. Pari autem prorsus modo Divinitatem τὸ λόγῳ capit, & thesin limitat Dn. D. Hildebrandus: Essentia, ait, Filii Dei, CHARACTERE HYPOSTATICO INSIGNITA, est PERSONALITER unita carni. Et mox addit, propositionem illam: *Essentia Divina est incarnata: simpliciter, h. e. ut jacet, & si terminus Essentiæ Divinæ simpliciter sumatur, veram non esse.**

XL. Ne-

XL. Neque prætereundum, in controversa hac formula, quam Dn. D. Hildebrandus expendit subiectum esse, *Essentiam Divinam*, positam absolute & citra Filii Dei mentionem: Dn. D. Pomarium autem sua in propositione subiectum illud restringere, & definite de *Essentia Divina* ἡ λόγος, sive Filii, loqui. Mutari autem ea ratione quaestionis statum, quisque intelligens assequitur. Et diversa illa esse subiecta, diversasque enunciationes gignere, B. Brochmandus (quem quasi Hildebrando absentem allegare Pomarius audet) tomo II. Systematis Theol. art. xv. c. viii. q. II. agnoscit. Ait enim: *Non absolute divina Natura, sed divina natura Filij incarnata est.* Jam posterius istud catholicum & orthodoxum esse D. Hildebrandus fatetur, acceptum nimirum de natura Filij, *charactere hypostatico insignita*: prius vero, quo nude & absolute Natura divina incarnata dicitur, utpote nimis ambiguum & generale, non simpliciter admittendum; posse tamen catholico sensu explicari, & de natura Filii in ipso restricta ac definita intelligi.

XLI. B. Grawerus Praelectionibus in Articulum III. Augustanae Confess. membr. I. quaest. I. ad quaestionem, *an etiam recte dicatur, ipsam naturam divinam in persona Filij Dei esse incarnatam?* respondet: *Nostra Ecclesia IN SANO SENSV id affirmant.* Dicit: *in sano sensu*: cum tamen ne quidem de essentia divina, nude & citra mentionem Filii Dei posita, sed ad hujus personam restricta, sermo ipsi sit. Et quidem ipsas *Ecclesias nostras* non nisi sano sensu id affirmare ait. Magna scilicet circumspectione in asserendo hic opus esse, & acutus ille Grawerus, & integre Ecclesiae censent. Quid ni ergo Dn. D. Hildebrandus pro prudentia sua & judicandi dexteritate, Ecclesiarum nostrarum exemplo circumspecte in quaestione a

E te

se proposita, utpote generaliore, & cujus subiectum nude *Divina Essentia* est, non, *Essentia Filij Dei*, versaretur? Sanus autem ille Ecclesiarum sensus, indicante mox Grawero, est, quod *Divina Filij natura*, τὸ πρῶτον ὑπὸ ἀρξέως determinata, ἐμμέσως, seu mediante hypostasi, incarnata dicatur; non dicatur vero absolute & ἀμέσως. Atqui si huic quoque propositioni: *Essentia Divina est incarnata*: sensus iste tribuatur, veram eam; sin simpliciter, & uti in terminis jacet, spectetur, non veram pronunciat Dn. D. Hildebrandus.

XLII. Nihil igitur diversum a nostratium doctrina, nihil quod Calvinianis & Papistis faveat Vir excellentissimus scripsit: quin potius summos Ecclesiae nostrae Theologos, Martinum Chemnitium, Aegidium Hunnium, Balthasarem Meisnerum, Fridericum Balduinum, Johannem, Gerhardum, &, quem jam citavimus, Albertum Grawerum, ut alios praeteream, sibi ὁμοψήφως habet. Chemnitius lib. de Duabus Nat. in Christo cap. II: *Deus, non quatenus simpliciter Deus, ratione absolute & communis essentia, est incarnatus, sed quatenus Deus genitus, a Deo genitore & a Deo procedente, non quidem essentialiter, sed personaliter & realiter differt. Et essentia seu natura divina, non quatenus simpliciter & absolute, ut communis omnibus personis Trinitatis, consideratur, incarnata est, sed quatenus personalibus proprietatibus, seu τὸ πρῶτον ὑπὸ ἀρξέως, modo subsistendi, in persona Filij limitata & determinata consideratur, ut a Patre genita: hoc est, divina natura λόγος non in tribus communiter personis, sed in solius Filij hypostasi, carnem assumpsit. Sic Chemnitius, quem tamen Pomarius Hildebrando opponere non veretur.*

XLIII. Nec aliter Hunnius libellorum de Persona Christi, ejusque ad Dextram Dei sedentis *Divina Majestate*, primo, & sub finem quidem ejus: *Ali-*

ud!

ad est, si quis dicat, ipsam simpliciter Divinitatem (prout absolute toti Trinitati communis est) esse carni personaliter unitam, quod falsum esset: aliud vero dicere, Naturam divinam Verbi, relate consideratam, & determinatam hypostatice, in una singulari hypostasi Verbi assumta carni unitam esse. Quod posterius tam verum est, ut nihil in hoc articulo sit decantatius, quam quod due in Christo nature personaliter sint copulate. Et in Assertionem Sanæ & Orthodoxæ Doctrinæ de Persona & Majestate Christi; sive Quæstionibus & Respons. de hac materia: Non ergo statuis tu, divinam simpliciter naturam esse unitam humanitati? Non simpliciter & absolute sic dicta Deitas seu divina natura est unita nature assumta; alias tota Trinitas esset incarnata: siquidem absolute spectata Deitas, est tota Trinitas. Sed divina natura seu Deitas relate se habens, sub solius Filij persona, atque sic hypostatico ejus character terminata, creditur assumta humanitati personaliter esse iuncta. Itaque non primo unitur humanitati natura simpliciter divina (quod citra reliquarum Trinitatis hypostaseon incarnationem fieri non posset) sed τῶν ὁμών ἡμῶν unitur ei ipsa persona λόγῳ; hac vero quoniam a natura divina non nisi ratione differt, idcirco ἐπομένως, mediante persona seu hypostasi Filij, Deitas unita predicatur assumta natura.

XLIV. B. Meisnerus Disp. v. Christologias Sacræ §. x: Scholastici prolixè differunt; An persona personam, vel NATURAM NATURAM; vel natura personam, vel PERSONA NATURAM assumerit? Sed expedita est responsio, quod PERSONA, NON NATURA, assumerit humanam naturam; persona nempe Trinitatis secunda, Filius Dei, splendor & imago æterni Patris; neque tamen sine natura, quippe quæ à persona non plane realiter distincta est. Vnde & ipsa Natura divina QUODAMMODO assumpsit naturam hominis, mediante videlicet persona, cuius est natura. En ait Meisnerus, Personam, & non Naturam nisi quodammmodo, nempe

pe mediante persona, humanitatē assumisse. Quid vero hoc aliud, quam quod Hildebrandus monet, non simpliciter dicendū, Naturam divinam esse incarnatam? Quod enim quodammodo, seu secundum quid & respectively alicui tribuitur, non competit ei simpliciter. Addantur e Disp. III. Christol. §. xxxiii. & xxxv. ubi non solam Filij hypostasin, nec tamen etiam naturam communem, ut talem, sed naturam hypostatice & personaliter limitatam, carnem assumisse, Meisnerus scribit.

XLV. Balduinus Disp. iv. de Articulis Smalcald. §. xxxix: *Ut summatim contrahamus omnia, quae de admiranda hac unione (personali) credi docerique debent, primum omnium non personam à persona, NON NATURAM A NATURA, non personam à natura, SED NATURAM A PERSONA assumptam esse statuimus.* Ecce negat Balduinus, nulla addita distinctione aut limitatione, naturam humanam a Divina assumptam, & hoc omne in solam ἡ λέγεται personam refert. Quod etiam Dn. D. Hülsemannum fecisse video Extensione Breviarii Theologici, Supplemento capitis VII. th. v: *Subiectum, ait, seu termini & extrema incarnationis sunt, quando incarnatio active (terminative) sumitur, pro assumptione humanae carnis seu naturae Persona Filij Dei, & humanitas.* Certe si Hildebrandus eo, quod non simpliciter verum putat, Essentiam divinam incarnatam esse, tantopere peccavit, ut publice notari, & adjungi lectariis mereatur; quid Balduino & Hülsemanno fiet? quum ille adhibita cautela ista: *simpliciter*: satis sibi caverit, & quo sensu formula controversa vera sit, eodem continuo sermone exposuerit: isti, illis quidem locis, non caverint, nec sententiam exposuerint. Absit tamen ut propterea Theologos illos in heterodoxorum societatem compingamus. Nam Balduinus jam precedente §.

xxxviii.

xxxvii. scripserat, unionem personalem non tantum secundum *subsistentiam*, verum etiam secundum *naturam factam* esse, nec solum *in communicatione subsistentia consistere*: & thesi v. essentiã in hac materia sumi relate, pro Divinitate, uti præcise Filii Dei est, ideoq; *perinde esse, sive Filium Dei, sive essentiã divinã in persona Filij incarnatã dixeris*. Mensigitur beati Viri §. xxxix, est, *Personã Filij, consequenter & Naturã relatã, non absolutã, incarnatã esse*. Quomodo Hülsemannum quoque explicandum puto.

XLVI. Grawerus Supplemento Articuli III. Aug. Conf. segmento IV: *Absolute essentiã divinã non est incarnatã: sic enim tota Trinitas esset incarnatã: sed respectu secundæ personæ & in secundã personã Trinitaris*. Alia ejus, ut & Gerhards huc pertinentia, jam jam adducentur.

XLVII. Objicias forte; Dn. D. Hildebrandum non distinguere inter essentiã divinã *simpliciter & relate* acceptã, sed *simpliciter* referre ad integram illam propositionem: *Essentiã divinã est incarnatã: & negare, eã simpliciter verã esse*. Cæterum i, quando propositio simpliciter vera non est, aut vera non censetur, causã aliquã ejus rei esse oportet. Hanc autem hoc loco D. Hildebrandus in subjecto ostendit, & propositionem illã controversã propterea non simpliciter verã putat, quia *Essentiã in Divinis ex vulgato loquendi more Naturã tribus personis communem denotet*, qua proinde positã *Essentiã divinã* significatiõne propositio vera esse non possit. Haut negat tamen, consideratã Essentiã illã, quatenus in *Filio*, & *charactere hypostatico insignita* est, h. e. consideratã eã relate, recte incarnatã dici. Ut eodem recidat, sive ajas, Essentiã divinã sub esse absoluto non assumisse humanã, & non esse incarnatã; sive, formulã illã: *Essentiã divinã est incarnatã non esse simpliciter verã*.

2. Simili prorsus, qua Dn. Hildebrandus, locutione B. Gerhardus utitur, & æque ac ille incarnationem de essentia divina non simpliciter prædicari notat tom. I. Locor. Theol. de Pers. & Officio Christi cap. III. §. xx: *Non dicimus simpliciter, ait, divinam naturam totam esse carni unitam, sed addimus, ἐν μὲν τῶν ἐαυτῆς ὑποστάσεων, videlicet in persona Filij.* Perinde est ac si diceret Gerhardus, formulam hanc & propositionem: *Divina natura tota est carni unita:* non simpliciter veram esse, sed quatenus Natura in certa hypostasi, ac Filii personâ spectetur. Ut haut immerito miremur, cur adversus Hildebrandum Gerhardi auctoritatem allegaverit Pomarius? cum ovum ovo non magis simile sit, quam Gerhardina sententia & locutio Hildebrandinæ. Pariter Grawerus loco jam adducto: *Non absolute Deitas dicitur incarnata, sed tantum in persona Filij Dei.* Hoc est: *Propositio ista: Deitas est incarnata; non est vera absolute, sed sic intelligenda: Deitas in persona Filii Dei incarnata est.* Paulo ante vir doctissimus scripserat: *Filius Dei incarnatus dicitur, quando assumpsit humanam naturam: quod Evangelista Iohannes exprimit: Verbum caro factum est. Verbum, id est, Filius Dei. Non dicit Evangelista simpliciter & absolute, Deum esse factum carnem; ne quis putes, totam Trinitatem esse incarnatam: sed, Verbum, dicit: hoc est, Filium Dei, factum esse carnem.* Expositore igitur Gravvero, secundum ipsum S. Evangelistam propositio ista: *Deus est caro factus:* non est simpliciter & absolute vera, eo quod sensus esse possit, totam Trinitatem esse incarnatam. Et licet 1. Tim. III, 16. *Deus in carne manifestatus* legatur: subjectum tamen enunciationis istius ex locis illis declarandum est, quibus *Verbum dicitur caro factum, Joh. I, 14. & Filius Dei factus ex muliere, Gal. IV, 4.* quemadmodum aliàs frequenter in Scripturarum interpretatione dictum
unum

unum ex altero explicatur, & loci alicujus sensus per parallelum eruitur. Sed & quum Grawerus modò agebat, nostras Ecclesias *IN SANO SENSV* affirmare, quod natura divina in persona Filii Dei sit incarnata, nihil aliud voluit, quam ex sententia ecclesiarum nostrarum propositionem istam non esse simpliciter veram.

XLVIII. Pergit Dn. D. Hildebrandus, & prioribus ista continuo attexit: *Nec obstat, quod prisci Patres hac formula interdum sint usi: hos enim, ante mota presertim certamina, securius locutos, in mysterio Incarnationis indifferenter concreta pro abstractis, & hæc illorum vice posuisse constat, quod accurate loquendo non licet. Sed mentem ipsorum orthodoxam fuisse, ex locis parallelis videmus.* Arbitror, etiam in his hominem æquum nihil desideraturum. Beatos enim prisci ævi Patres in explicatione mysterii Incarnationis nonnunquam abstractum pro concreto, & essentiam citra evidentem limitationem pro persona, seu pro natura caractere hypostatico definita, pia securitate posuisse, vel aliqua illorum saltem, quæ num. III. laudavimus, testimonio esse poterunt. Et licet mens Patrum orthodoxa fuerit, locutio tamen non perinde est accurata, propterea quod absolutum pro relativo, & abstractum pro concreto absque necessaria cautione positum, ambiguum facile, aut etiam erroneum sensum gignat. Vnde in studio accurate dicendi modi isti merito vitantur.

XLIX. Denique objectionem Dn. D. Hildebrandus movet & solvit. *Dicis: Essentia & Persona secundum rem non differunt. Quod ergo de uno horum, recte etiam de altero predicatur. Resp. negando consequentiam: nam & in Trinitate personam gignere, generari, spirare, procedere dicimus, quorum nihil in essentiam proprie & directe (sed secundo tantum & consequenter) cadit. Sufficit personam ab essentia virtualiter distingui, quæ distinctio quia fundamentum in re habet, hinc est, quod quæ sic differunt, eminenter plura distincta contineant, quæ de se mutuo non semper predicantur.* In quo argumento etsi antecedens, seu Minor, vera quoque est de essentia relative sumpta, tamen ut objectio quadret & thesiferiat, vocabulum essentia absolute capi oportet. Nimirum propositionem hanc: *Essentia divina, simpliciter & communi-*
ter

ter accepta, est incarnata: falsam pronunciat D. Hildebrandus. Veram autem esse inde probari videtur, quia essentia non solum relate, sed etiam absolute sumpta, realiter a persona Filii non differat, eoque quod de hac dicitur, nempe incarnatam esse, possit quoque de illa dici. In qua structura negat ipse consequentiam, seu enunciationem Majorem, si syllogismus fiat categoricus. Quamvis enim persona & essentia realiter idem sint, non sunt tamen formaliter seu virtualiter, aut ratione ratiocinata, ideoque non confestim quod de uno, etiam de altero prædicatur. Et gemina prorsus ratione Amplissimus & celeberrimus Academiae Witebergensis Theologus, Dn. D. Johannes Meisnerus differit Examine Catechismi Palatini Disp. xxiv. ad q. xxxv. num. v: *Quamquam, inquit, natura divina à persona realiter & ex natura ipsius rei non differat, ut res à re, seu ut plures res, quia tamen divolq. seu ratione distinguuntur, id sufficit in Deo ad id, ut quedam prædicata de uno affirmantur, quæ in alterum non competunt. Quod igitur una personarum divinarum facit, hoc non statim tribuendum reliquis, et si eadem natura præditis, sed per proprium existendi modum determinatis; (consequenter nec id statim essentia, quatenus tribus personis communis est, tribuendum) atq. adeo non potest tota Trinitas (& sic neq. essentia, uti est totius Trinitatis) dici incarnata, et si tota divina natura (prout in Filio est) eaq. divinõs & totaliter carni nostræ sit unita. Sane & hypostasis solius Filij nature humane communicata est, et si & illa realiter à natura divina non distinguatur. Hæc ille, plane ad mentem Hildebrandi.*

L. Ita ergo abunde patet, Dn. D. Hildebrandum in controversæ, quam vidimus, propositionis consideratione recte omnino esse versatum, & nec perperam sentire, nec incongrue loqui; facereque pro illo, sive rem, sive phrasin & dicendi modum spectes, Theologorum coronam; ac proinde frustra esse Dn. D. Pomarium, qui eum in Calvinianorum ac Pontificiorum classes heic conjiciat: quamquam nec Calviniani omnes, nec omnes Pontificii incarnationem Filii Dei ad solam ejus hypostasin referant, & in essentia intrinsece terminari negent, veluti supra, productis auctoribus atque verbis illorum, liquido demonstravimus.


F I N I S.














DISPUTATIO THEOLOGICA
 DE
INCARNATIONE
FILII DEI
 VTRVM IN NATVRA AN
 PERSONA EIVS, AN IN V-
 TRAQVE TERMINETVR?

Q V A M
 IPSO AVSPICE
 PRÆSIDE

HENRICO RIXNERO
 SS. THEOL. DOCTORE, EIUSQVE
 PROF. PUBL. ORDINARIO

IN IVLEO MAGNO
 AD D. FEBR.

PUBLICÈ EXCVTIENDAM PROPONIT
FRIDERICVS Oppermann
 Hildesiensis, vicinæ Ecclesiæ Rhodensis
 in Ducatu Luneburgico Pastor.

 T 129

HELMESTADII,
 Typis HENRICI DAVIDIS MULLERI Acad. Typ.
 Anno CIO IO CLXXVI.

